



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Aquila.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

## Gallina, Gallus.

**J**erusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum sub pennis, & noluisti. Luc. 13. Quemadmodum gallina congregat pullos suos. Matth. 23. Applica animam peccatrici toties à Deo vocatæ ad pœnitentiam, Antequam gallus cantet, ter me negabis. Matth. 26. Nemo sibi fidat, ubi Petrus ad ancillæ officinæ vocem cecidit, qui paulò antè mori præelegerat, quàm Christum negare. *Vigilate, nescitis enim, quando Dominus veniet, sero, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane.* Mat. 13. Galli ergo cantum dum audis, de lapsu & pœnitentia Petri cogita, sed & de vigilantia ob incertum mortis tempus.

## Aquila.

**A**quila in petris manet, inde contemplatur *ecce*, & de longè oculi ejus prospiciunt. Job. 39. Symbolum hominis contemplationi Divinorum dediti, & supra terrena se elevantis. Vel etiam hominis insidiantis proximi bonis. Nam ut ibidem additur de Aquila: *Ubiunque cadaver fuerit, statim adest. Replet in bonis desiderium tuum. Renovabitur ut aquila juvenit tua.* Ps. 102. Symbolum crescentis in virtute, & spiritum renovantis. *Ubiunque fuerit corpus [Christi, Ecclesia] illuc congregabuntur & aquile.* Luc. 17. Viri ingeniosi, docti, & simul probi.

probi. *Assument pennas ut aquila.* If. 40. *Homines in cælum aspirantes.*

*Milvus, Turtur, Ciconia, Hirundo.*

**M**ilvus in cælo cognovit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui. *Populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Jerem. 8. *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba.* If. 38. Turtures omnes noxias evitant occasiones, nec garrunt ut aliæ aves, sed gemunt. Symbolum sunt devotarum Viduarum. *Eunt in montibus* [ per hoc evitantes pericula ] *quasi columba convallium omnes trepidi.* Ezech. 7. *Cautus, vigilans, sedatus, nec nimis loquax* in conversatione.

*Passer, Pelicanus, Nycticorax.*

**P**asser solitarius in tecto. Ps. 101. Designat hominem à terrenis abstractum divinæ insistentem contemplationi. Idem adumbrat Pelicanus. Hinc David ibidem dicit: *Similis factus sum Pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Ibid. *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Ps. 83. Sic etiam Deus te non deseret.

*Corvus.*

**C**onsiderate corvos (quascunque alias volucres) quia non seminant neque metant, quibus